





(53)

10

1780, 1ba

R E C T O R
 A C A D E M I A E V I T E B E R G E N S I S
B E N I A M I N G O T T L I B
L A V R E N T I V S B O D E N
 P H I L O S O P H I A E D O C T O R P O E S . P R O F E S S O R
 P U B L I C V S O R D I N A R I V S
C I V I B V S A C A D E M I C I S
 S . P . D

β



RECTOR
ACADEMIAE VITBERGENSIS
BENIAMIN GOTTLIB
LAVRENTIVS BODEN
PHILOSOPHIAE DOCTOR FORS PROFESSOR
PUBLICVS ORDINARIVS
CIVIBVS NORIMICIS

M. D. C. C. C.





COLVMBA CAELESTIS

Non Phoebum voco, non Castalias deas,
Vt pectus moueant numine, vel fui
Plenum me iubeant fingere, vel melos
Lesboum mihi dicitent.

Nec fingenda mihi sumo profana, nec
Vates alterius nomine praecino:
Quae me vis agitet, quid canere imperet,
Alto sentio pectore.

Est, est aura fauens, aura potens dei,
Quae me permeat, est, nescia fallere,
Vox diuina, vetans prodere feriis
Tantis somnia fabulae.

O adis facilis, tu, sapientia
Aeterni Patris ac spes mea maxima,
Vires sufficias, carmen vt his sacris
Edam conuenientius.

Quid, Dodona, tuos hic morer alites,
Mandantes monitum fatidicum Iouis
Sylvae Chaoniae, fortem vbi glandium
Sub quercu legerent loco?

Ad nos quid volueres Idaliae, colat
Illas siue Syri credulitas, apud
Quem di nidificant, siue libidinis
Lasciuae simulacra sint?

Nec

Nec me fallat auis forma, Semiramis
Quod longaeua parem fumat imaginem,
Alis non propriis quum super aera
Vult attollere spiritum.

Mitto, quod niteat candidioribus
Plumis, aut oculis se similem ferat
Sponsis, aut tremula voce gemens modos
Gratos edat amantiibus.

Sit pennas cita, sit, quum bona nunciat,
Nilo grata, (fuit grataque patriae,
Tessinensibus a finibus huc ubi
Talis ramum oleae tulit;)

Virtutes habeat mille columba, sit
Simplex, situe doli nescia mundaque,
Sit mansueta, carens felle, sit innocens,
Nec puram temeret fidem.

Hanc laudent alii: nobilior meos
In se fert oculos. Ecce! deus (nihil
Fingo) de patulo labitur aethere,
Formam non aliam gerens.

Mentiris, Syre, si turturibus tuis
Infedisse feras talia numina.
Vidiffine tuos vulturis vnguibus
Discerptos misere deos?

Formae, quam uideo, numen inest, tuis
Longe dispar, inest omnipotens deus,
Qui terras, pelagum, sidera, cuncta qui
Solus numine temperat.

Pacis pignus inest inuiolabile,
Promissum miseris Euigenis, inest
Nitentis patria ad limina Filii
Acceptabilis arrhabo.

Con-

Consolator inest, rebus in arduis
Infandis animos alloquiis leuans,
Spes lapsas iterum molliter erigens,
Pellens tristitiam procul.

Quem nunc composita mente rogabimus,
O CIVES, vt et hoc tempore mitiget
Luctus, heu! quibus vrbs totaque patria
Heu! cum PRINCIPE confidet.

Omnes solliciti pectora tundimus
Ac desiderio diffluimus pio,
Discedente suis ANTONIA, necem
Nondum commerita pati.

Ecquid nunc potius luctibus his agam?
Praecentemne melos flebile, naeniam,
Vos vt luctifonos, quos praeceam, modos
Tristi uoce sequamini?

An

An cantare vetor? Fallor, an audio
Cantantem ad tumulum caeliruum chorum,
Qui, non moesta canens, ponere suadeat
Moerori nimio modum?

Praestet laetificum poscere Spiritum,
Hanc post tristitiam dulce leuamen vt,
Vel sensum fugiens, vel specie alitis,

Arci Saxonicae inferat:

Arcae sollicitae quale Noae pii
Post curas tulit. O tale precabimur,
Arae, mos vti fert, muneribus datis!
Huc, praeibo, sequamini

P. P

SACRIS PENTECOSTALIBVS

A. C. ∞ IOCCCLXXX

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ULB Halle

3


004 058 02X



56.







B.I.G.

Farbkarte #13

(52)
10
1780, 16a

RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
**BENIAMIN GOTTLIB
LAVRENTIVS BODEN**
PHILOSOPHIAE DOCTOR POES. PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS
CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D

